

Eo enim Capite *), quo complexus est Cerberi fabulam, canes Geryonis dicuntur κύνες νεανικάί. Hos canes Tullius cum Phasianino Latine *canes iuvenes* dixit, quos appellare *acres* debuisset. Etenim quum in iuuenibus omnia, quaecumque, vel animo insunt, vel ad corpus pertinent, magna reperiantur et ingentia: Graeci instituerunt vocabula νεανικός et νεανικός, eorumque exemplo Latini verba *iuuenilis* et *iuueniliter*, transferre eleganter ad ea, quae in aliquo genere magna sunt et ampla et eximia. Sed quia nunc non id agimus, ut potestatem verborum Latinorum demonstremus; hoc enim labore eo magis superfedere licet, quum Geuartius in Lectionibus Papinianis **), aliique, magnam eius generis locorum copiam collegerint, quibus tamen addi recte poterit locus Annalium Taciti ***) ille, quo *iuueniliter* *haurire* positum legitur pro *haurire auide*: Graecis tantum vocabulis eam, quam diximus, vim asserere, scriptorum bonorum auctoritate, placet, sed recentiorum, qui eam ab antiquis petiere, quorum locos multos iam ab Stephano laudatos in Thesauro videmus. Plutarchus †) quidem πνεῦμα νεανικόν vocat *ventum magnum, vehementem, insanum*: ab Athenaeo ††) *patina ingens* appellatur λοπαῖς νεανική: *verbera saeva* Longus †††) πληγαῖς νεανικαῖς nominat: et Pollux *), apposita fluuiorum recensens, ponit in

*) C. 40, 2

**) 1, 32

***) 4, 10

†) p. 569 To. 2. Sic

Longus 2 p. 62 ἐπέπη — νεανικόν — : 4 p. 144 πάντα μέγα καὶ νεανικόν ἐβόα —.

††) 4, 21 vbi v. Casaub.

†††) 1 p. 23 Mol.

*) 3, 103